



M O S E S Orchanē nepotem, cui erat patruus interfecit: ipse quoque à fratre Mahometo vicissim interfectus est. nec connumerantur ambo in serie Turcicorum Imperatorum, quòd paucis admodum diebus imperitarint. Vide Richerium de rebus Turcicis lib. I.

M A H O M E T E S huius nominis primus, Mustaphæ & Mosis, eius inquam qui Orchanem ex fratre nepotem è medio sustulerat frater, post Bajazetem Turcis imperat anno mundi 5359. à Christo nato 1397. Sunt qui ea quæ de Cyriscelebe feruntur, huic vni tribuant. Is itaque Bulgaros & Valachos prædis & cladibus afflixit, tributúmque magnum imposuit. Arma deinde in Satrapas Asiæ vertit, loca omnia quæ Tamberlanes occupauerat recepit: nihil generis propinquitate commotus, Turcicę nationis cõplures principes ex Galatia, Põto & Cappadocia pullos extirpavit: alios autem integros atque incolumes seruavit. Reuersus in Græciam, Adrianopolim, quæ caput est Thraciæ, sedis imperatoriæ loco habuit, pulsus illinc Christianis. Obiit anno imperij sui 17. regni verò Caroli hoc nomine sexti Francorum Regis 35. Vide Richer. li. I. & Cosm. Munst. lib. 4.